

12453
~~Box 543~~
DE AFFINITATE

**QUAE EST INTER LINGUAM GRAECORUM
ANTIQUORUM ET RECENTIORUM.**

Box 385
No 14
2683
**SPECIMEN PRIMUM
DISSERTATIONIS
PHILOLOGICAE INAUGURALIS**

**QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI
ORDINIS PHILOSOPHORUM
IN UNIVERSITATE VIADRINA
PRO SUMMIS
PHILOSOPHIAE HONORIBUS**

**RITE OBTINENDIS
DIE XIX. MARTII A. MDCCCXL.**

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR

AUG. THEOD. PEUCKER.
SAGANENSIS.

OPPONENTIUS

**M. WINKLER, DOCT. PHIL.
TH. PAUR, CAND. PHIL.
J. RESLER, STUD. PHIL.**

VRATISLAVIAE.

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCIORUM.

Printed in Germany

VIRO
DOCTISSIMO, ILLUSTRISSIMO
PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

C. CH. SCHNEIDERO

PRAECEPTORI MAXIME HONORANDO

HAECCE STUDIA

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR

D. D. D.

12453
Box 43



PHILOSOPHIAE INAGURALS
DESSERTATIONES

Χαλεπόν — ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρ-
τάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα,
τὰ δὲ κακῶς κρίναντα.

Galenus.

Printed in Germany

Haud ignorat cuicui nostra aetate cordi est linguis ediscendis operam navare, eos qui philologi nomen profiteantur, linguae cui studeant indolis explorandae causa, non solum linguam illam per se ipsam respicere, sed etiam eam cum aliis conferre, ut quae sit communis origo et affinitas appareat. Hoc studio ducti linguam germanicam cum persica, latinam cum indica comparaverunt. Quis autem est qui non videat, similitudines saepe fortuitas in causa fuisse ut affinitatem obtinere crederent inter res diversissimas? Patet quantopere etymologi modum excesserint; nemo enim sanus franco-gallum germanico sanguine oriundum putaret si forte caeruleis oculis et rubris capillis esset. Quae cum ita sint, modus minime excedendus est in hujusmodi comparationibus instituendis. Immo dubius sum quid judicem de libro quem conscripsit Constantinus Oeconomus, qui linguam hellenicam (liceat enim breviter sic dicere sermonem veterum Graecorum) cum slavono-russica docte et ingeniose comparavit *). Qui aliquas hujus libri paginas percurrere non refugerit, viri illius opus magni aestimans, affinitatem inter linguam slavono-russicam et hellenicam potius, quam latinam inter et indicam obtinere statuet. Conferat lector benevolus voculas quasdam e cornu copiae linguae russicae petitas: *Замáраннын* cum *μαραίνω*, *βόρονα* cum *χορώνη*, *ворѣ* cum *φῶρ*, *дѣрево* cum *δόν*, *домѣ* cum *δῶμα*,

*) Περί τῆς πλησιεστάτης συγγενείας τῆς Σλαβονο-ῚΡωσικῆς γλώσσης πρὸς τὴν ἑλληνικὴν. ἐν Πετροупόλει. 1828.

κοράβλη cum *κάραβος*, πέρυя cum *περὰ*, худыи cum *χρδαῖος*, мапъ, мапери cum *μήτηρ*, μητέρος, нынѣ cum *νῦν*.

Immo quoad syntaxin magna similitudo se offert, verbi causa: не преспава̀лѣ усыпа́я его похвалами, *οὐκ ἐπαύετο ἐπαινῶν αὐτόν*. Exempla illa forte allata sufficere existimo, quippe qui linguam hellenicam cum russica conferre in animo non habuerim, et sequatur nunc id de quo in dissertatione mea acturus sum, affinitatem dico, quae est inter linguam neo-graecam et hellenicam, de qua non dubitabit quisquis leviter imbutus est veterum recentiorumque Graecorum litteris, ut de re, quae impugnari non possit, verba facere supervacaneum videatur. Hanc ob causam necesse est commemorare, de illa affinitate arctissima me disputaturum, quam alii veritatis fines egressi identitatem appellaverunt *).

Facio ex aliqua parte cum Athanasio Christopulo, quoniam multae formationes doricae et aeolicae dialecto peculiare in lingua Graecorum recentioris aetatis restant. Nihilominus et ceteris dialectis propriae quaedam insunt, ita ut reliquiae omnium dialectorum simul cum barbarismis tempestatum subsequentium in unum congestae sive in eandem formam fusae videantur. En quum sermo graecus jam in eo esset, ut habitum peregrinum indueret, vir inclyti nominis exstitit Adamantius Corais! in cujus viri memoriam pro beneficiis, quae in populares contulerat, monumentum positum est in auditoriis gymnasii quod floret in Chio insula. Qui vir perillustis rationem instituit vernaculae linguae peregrinis vocibus dictionibusque purgandae, voces et formationes vere graecas, quaecunque barbarae erant rejectis, in sermonem popularium suorum recipiens. Multa erant vocabula quae haud difficulter reduci possent, plebi nondum prorsus ignota; multa vero quae temporum injuria reddiderat obscuriora, quam quae possent absque difficultate restitui.

*) Ἀθανασίου Χριστοπόουλου γραμματικὴ αἰολοδορικὴ, ἐν Βιέννῃ 1815.

Vicit Corais obstacula illa atque linguam vernaculam in hanc formam redegit, ut emendata tamenque multitudini perspicua appareret *). Imitatus est Corais studium linguae vernaculae emendandae Constantinus Michaelis Cumas, qui eum summis laudibus extollit his verbis: *Παράδειγμα καλῶς διορθομένης γλώσσης μᾶς ἔδωκεν ἀνὴρ δαιμόνιος, τὸν ὁποῖον δὲν δύναιμι νὰ ἐπαινέσω μὴδ' ἂν εἶχα τοῦ Δημοσθένους τὴν δύναμιν ὁ σοφὸς Χριστοφωρᾶς Κοραῆς **).* Quicumque igitur voluerit linguam hellenicam et neo-graecam accurate inter se conferre, in scriptis Corais versatus esse debet, immo eos primos atque abundantissimos fontes habeo, e quibus hauriendum sit.

Hanc ob rem (ingenue fateor) nonnulla, quae opusculo meo continentur illius, non mea sunt. Literarum graecarum principe commemorato, mentionem faciamus Julii Davidis, qui linguam neo-graecam cum hellenica comparare in se suscepit, eo majori jure, quod diu in Graecia magistri munere functus, vulgi simul ac doctorum hominum sermonis cognitionem sibi comparavit. Legant opus illius viri illustris quicumque philologiae student ***). Et hunc habui adiutorem ac praeceptorem, rationem similitudinis quae est inter linguam Graecorum veterum ac recentiorum exploraturus. Sequitur Carolus Hase, qui quum essent pauci inventi homines docti ad nostra usque tempora, qui linguae neo-graecae aliquam operam impenderent, ceteris omnibus indignum ac futilem laborem ducentibus, agrum colere, quem nihil nisi carduos ipsis laturum arbitrabantur, hanc opinionem praejudicatam impugnavit, vir pro doctrina sua et hu-

*) Vide scriptorum illius viri doctissimi tomum II. operis cui titulus est: *Ἄπαντα, ἧσων παντοδαπῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν καὶ τὴν νέαν ἑλληνικὴν γλῶσσαν αὐτοσχεδρίων σημειώσεων καὶ τινων ἄλλων ὑπομνημάτων, αὐτοσχέδιος συναγωγὴ ἐν Παρισίοις ἐκ τῆς τυπογραφίας κ. ἘΒΕΡΑΡΤΟΤ.* apud Didot.

**) Cumas in praefatione libri: *Σύνοψις τῆς φυσικῆς.*

***) *Συνοπτικὸς παραλληλισμὸς τῆς ἑλληνικῆς καὶ ἀπλο-ἑλληνικῆς γλῶσσης συντεθειὲς ὑπὸ τοῦ Ἰουλίου Δαβίδ, ἐν Παρισίοις ΑΩΚ.*

manitate principatum habens in hac re dijudicanda *). Quam vellem iudicium ejus probaremus, consilium quod dedit sequeremur! Ostendit plurimos mediae aetatis scriptores, qui nomine byzantinorum comprehenduntur, valde obscuros esse eis, qui curam haud impenderunt linguae graecae ediscendae, qualis subsequentibus seculis non solum in ore vulgi, sed etiam in scriptis sese ostendit. Suadet igitur literarum graecarum amantibus, viribus omnibus id agere, ut familiaritatem aliquam cum lingua neo-graeca contrahant. Re vera homines docti non solum injuste agunt, nullam habentes rationem terrae, e qua literarum artiumque praestantissimarum cognitio in ceteras Europae partes emanavit, sed etiam sibi ipsi officiant, Graeciam qualis antiquissimis fuerit temporibus, omni ex parte cognoscendi instrumento carentes **). Collectio carminum popularium, quam C. Faurielus versione franco-gallica adjecta Parisiis edidit, in manibus omnium eorum esse debet, qui linguam neo-graecam cum hellenica comparare voluerint, quippe quae sermonem vulgarem diversarum regionum complectantur. Citatus ille liber insuper id emolumenti nobis offert, quod dialectorum, quarum numerum ad septuaginta esse refert Symeon Cabasilas, cognitionem inde haurire licet ***). In his multae reliquiae sermonis veterum Graecorum continen-

*) Charles Bened. Hase: Discours sur l'origine de la langue grecque moderne, et les avantages qu'on peut retirer de son étude. E lingua franco-gallica in germanicam transl. a Fried. Traug. Friedemann. Vide Iken, Eunomia tom. II. p. 210.

**) C. Fauriel, Chants populaires de la Grèce moderne, discours préliminaire VIII: Les savants de l'Europe n'ont pas seulement commis une injustice envers la Grèce moderne; Ils ont fait quelque chose de plus contraire à leur prétention favorite: ils ont renoncé à des moyens de mieux connaître la Grèce antique etc.

***) Du Frène Du Cange, lexicon mediae et infimae graecitatis, in praefatione p. IX.: Inter tot dialectos, quas ad septuaginta apud hodiernos graecos obtinere ait Symeon Cabasilas, aliae aliis puriores ac meliores habentur: testatur etiam Gerlachius Germanus apud Crusium, linguam graecam Constantino-

tur. E verbis Cabasilae in annotatione commemoratis liquet, tantam esse affinitatem inter linguam hellenicam et neo-graecam, ut haec non *μιζοβάροσος* sed potius *ιδιωτική* dici possit, utpote quae non tam barbarismis mixta sit, quam aliqua proprietate ab illa abhorreat. Ceterum in omnibus Graeciae provinciis graecum sermonem hac nominatione dignum esse, dicere non ausim; dirimant si qua exoriatur de hac re controversia, qui in Graecia peregrinandi diversarum regionum sermonem cognoverunt. Optime sermonis popularis Graecorum recentioris aetatis cognitionem, ut mea fert opinio, is sibi parat, qui in lingua hellenica versatus omnes provincias, in quibus hodiedum graece loquuntur, peragraverit; quantum in Italiae etiam oris, quantum in Sicilia inveniret quod colligeret! Grammaticus quodammodo investigatorem antiquitatis imitatur; hic enim peregrinatur reliquias monumentorum inveniendi cupiditate incensus, multas quidem invenit, quibus immanitas barbarorum temperaverat deorum ac celeberrimorum virorum statuas, numos integros, aliaque intacta, multa vero ruderibus obruta jacent temporum injuria deformata et deturpata, sed et mutata illius spectandi studium aciemque non fugiunt; colligit maximorum artificum manibus perfectarum statuarum fragmenta, quotquot potest de interitu eripere. Ille, grammaticum dico, eadem cupiditate incensus peregrinatur; Somaveras et Martinus Leake in numero grammaticorum peregrinantium ponuntur. Qui viri doctissimi sane laude dignissimi reliquias sermonis hellenici pari jure ac statuarum

poli multo nitidiorem quam in aliis Graeciae partibus, quia sedes imperii ibi olim fuit, et a feminis diserte admodum et decore pronuntiari, Thessalonicae etiam et in Macedonia ut et in Peloponneso inveniri, qui hodierna lingua recte et expedite loquantur auctor est idem Cabasilas: *Ἐν δὲ τῇ Θεσσαλονίκῃ καὶ Βυζαντίῳ καὶ ἐν Πελοποννήσῳ καὶ ἐν ἄλλῃ Ἑλλάδι εὐρήσεις καλῶς τὴν καθ' ἡμᾶς ιδιωτικὴν φθεγγομένους ἑτίους, ὥς καὶ τοὺς πάλαι. κα' κείνους γὰρ ταύτην (τὴν ιδιωτικὴν φημι) καθάπερ ἡμᾶς προφέροντας ἐν πολλοῖς, μάλιστα Κωμικοῖς εὐρίσκομεν. Τοῦτον χάριν οὐ μίζοβάροσος ἀλλ' ιδιωτικὴ τῶν Ἑλλήνων τις ὀνομάσειεν, εἰ καὶ τινα τῶν βαρβαρικῶν λέξεων (ὥς τὰ τῶν μνηῶν ὀνόματα) προφέρουσιν.*

tabularumque fragmenta colligendas existimarunt. Voces quidem aliquas partim immutatas reperientes colligere quam rejicere maluerunt. Collectas contulerunt cum illo idiomate perfectissimo, quo unquam humanae cogitationes expressae fuerunt. Cui in Graecia illas colligere non contigit, is carminibus popularibus a Fauriolo editis usus, damnum illud aliquantulum minuerit. Conspicitur in iis, quali vulgus utitur simplex purusque sermo; majorem similitudinem inter linguam hellenicam et neo-graecam obtinere conjicere licet, quam qualem hodie videmus; haud dubie enim non est sermo vulgaris, quem in scriptis Graecorum antiquiorum conspiciamus, sed idioma graecum doctorum hominum opera expolitum. In Aristophanis comoediis hic illic quaedam occurrunt, quae vulgaris sermonis habeantur. Certe, si Graecorum antiquiorum sermonis popularis cognitionem haberemus, multas voces decurtatas et abscissas a doctorum virorum idiomate toto coelo abhorreere videremus. Voculae apud Homerum quaedam per apocopen natae, ut $\delta\omega$ pro $\delta\omega\mu\alpha$, $\kappa\epsilon\iota$ pro $\kappa\epsilon\iota\theta\eta$ ex vulgi sermone depromptae videntur. Persaepe primitivam significationem verborum in lingua neo-graeca superstitem cognoscimus, verbi causa $\phi\iota\lambda\epsilon\omega$ Graecis antiquioribus est et amare et osculari, Neo-graecis vero tantum osculari, quae est hujus verbi primitiva significatio; in aliis formam antiquam restitutam videmus, quamquam in scriptis non amplius invenitur, verbi causa $\theta\epsilon\iota\omega$ litera τ intercalata ab antiquissimo illo vocabulo $\theta\epsilon\omega$ pro quo scriptores antiqui verbo $\tau\epsilon\theta\eta\mu\iota$ utuntur *).

Unum impedit, quo minus illam arctissimam affinitatem, quam inter linguam hellenicam et neo-graecam statuimus,

*) J. A. E. Schmidt, Hilfsbuch zur Erlernung der neugriechischen Sprache. In praefatione pag. VI. haec ferme dicit: Für den Freund der altgriechischen Literatur muss die Sprache der jetzigen Griechen ein eigenes Interesse gewinnen, besonders da er in dieser die Bedeutung mancher Wörter auf ihre erste ursprüngliche zurückgeführt, bei anderen die uralte Form, die aber in altgriechischen Klassikern nicht mehr vorkommt, wiederhergestellt, oder nur wenig umgestaltet findet.

obtinerē credatur, quod magna inest copia diminutivorum in lingua neo-graeca, qui vim et potestatem primitivorum habent; nec mirum; occurrunt enim haud raro in antiquis scriptoribus talia ut τὸ χωράριον, τὸ παιδίον multaue alia; sed diminutiva non integra habet lingua recentior, tum per aphaeresin, tum per apocopen mutilata, ut primo intuitu nemo facile ea agnoscat. Adamantius Corais diminutiva in integrum restituere conatus est, ita quidem ut ψάριον pro ψάρι, ὀφιδίον pro φίδι, ἐλάριον pro λάρι, ὀμμάτιον pro μάτι, ὀκτωπόδιον pro χιτώποδι scribendum esse censeat, quare effecit, ut quae vocabula vix agnosci possent, eadem ac quibus Graeci antiquiores usi sunt perspiciantur.

Conferat lector benevolus quae Rhyzus Nerulus in comœdia cui titulus est: Τὰ χορακιστικὰ ἢ διόρθωσις τῆς ἑωμαϊκῆς γλώσσης verbis mordacibus in Adamantium Corain invectus incolas Chii insulae de linguae vernaculae immutatione dicentes facit *). Negari igitur non potest, linguam neo-graecam multis mutationibus ab antiquiore quidem discrepare, sed ob hanc rem non aliam factam esse. Namque tempus nondum adest, quo linguam neo-graecam certis limitibus circumscriptam ex aliquave parte absolutam dicamus. Quisque enim Graecorum, sive scribebat, sive loqueretur pro eruditione sua modo ad linguam hellenicam propius accedet, modo ab illa recedet, tum formis magis hellenicis usus, tum perplexum vulgi appetiturus, ita quidem, ut leges quas dicimus linguae Graecorum recentiorum latae quidem, sed nondum prorsus sancitae esse videantur.

His paucis ante commemoratis, ut magis perspicua esset expositio mea, nunc partem quae ad grammaticen spectat expendamus, ut appareat, qua in re lingua hellenica et neo-graeca inter se conveniant. Haec prior pars dissertationis. Secunda voces quasdam, quae pro barbaris habentur hellenicae originis esse demonstrabitur.

*) Καὶ πῶς τῇ χωριάτικῇ τῇ γλώσσῃ ἰδῶ κἀντι τὴ βραχονοίῃ τῆς ἀπ' ὀμπρὸς, κἀντι τὴ βράχονοίῃ τῆς ἀπ' ἐπίσω etc.

Pars prior.

De spiritu.

Quae ab Hermanno, Liscovio, Blochio, Constantino Oeconomo aliisque viris doctissimis de pronuntiatione graeci sermonis disputata sunt, in praesentiarum silentio praeterire malui, utpote rem de qua postea tractare apud me constitui. Nunc de spiritu secundum ordinem, qui in grammaticis obtinet, pauca dicturus sum. Spiritus asper et spiritus lenis in lingua neo-graeca conservantur quidem signa orthographica, sed ad pronuntiationem nihil valent. Qua in re Neograeci a majorum consuetudine recesserunt, dixerit aliquis; recte quidem, si graecum sermonem in universum dixerit, sin vero ad singulas illius dialectos respexeris, probe intelliges, neque Aeoles in pronuntiatione spiritus asperi rationem habuisse pronuntiantes ἐσπέρα pro ἐσπέρα, ἥλιος pro ἥλιος, ἀμέρα pro ἡμέρα, ἄγιος pro ἄγιος *). Veri simile est, et alios Graeciae incolas Aeolum morem secutos ob facilitatem pronuntiandi spiritum nihil curavisse; at arduum est dicere, quatenus consuetudo illa invaluerit. Itali quoque literam h, quae quidem vim et potestatem spiritus asperi habere putatur, in ho, hai, ha, hanno minime pronunciant eam ob causam, quod semper aliqua contentione laterum orisque enuntiatur.

*) Gregorius Corinth. ed. G. H. Schäfer excerpta e Cod. Vat. pag. 689. Johannes Grammaticus de dialecto aeolica § XXIII. Grammaticus Leidensis I. C. § VII.

De declinatione.

Primae et secundae declinationis in lingua neo-graeca et hellenica forma prorsus eadem est; ἡ *φιλία*, ὁ *ἄνθρωπος*, τὸ *δένδρον* eodem modo in utraque lingua declinantur. Tertia declinatio autem linguae neo-graecae etiam id peculiare habet, quod vocum generis masculini accusativum numeri pluralis in lingua hellenica numeri singularis nominativum exhibet: ut ὁ *ἄνδρας*, ὁ *λιμένας*, ὁ *μῆνας*, in ceteris casibus declinationem hellenicam sequitur. In substantivis generis feminini sermo vulgaris accusativo singularis linguae hellenicae pro nominativo utitur, ita quidem ut ἡ *γυναῖκα* pro ἡ *γυνή*, ἡ *μητέρα* pro ἡ *μήτηρ*, ἡ *θυγατέρα* pro ἡ *θυγάτηρ* exhibeat. In genitivo aut τῆς *γυναῖκας* aut τῆς *γυναίκος*, in accusativo aut τὴν *γυναῖκαν* aut τὴν *γυναῖκα* dici potest. Vulgus accusativum numeri pluralis in *αις* formare solet, ut ταῖς *γυναῖκαις*, ita ut haud barbaram sed mere aeolicam formam imitetur *). In lingua italica, quam nemo filiam linguae latinae esse negabit, similis vocum immutandarum ratio obtinet. Nominativus vocum italicarum ex ablativo vocabulorum latinorum formatur, verbi causa: il padre, la madre, il cielo, la fede etc. Quod formationem attinet, secundum quam in lingua neo-graeca ἡ *γυναῖκα* pro ἡ *γυνή* dicitur, non est quod nuper eam in usum venisse putemus; non est enim aliena a Graecorum antiquorum consuetudine, nam utramque formam et ἡ *αἴξ* et ἡ *αἶγα* in antiquorum scriptis occurrere testantur loci nonnulli **). Inde liquet accusativi formam jam a primis temporibus pro nominativo usurpatam fuisse. Causam quidem subesse opinor huius formationis quod ita vox plenius sonaret. Lingua la-

*) Grammat. Leid. in edit. a Schaefero curata Περὶ τῆς Αἰόλιδος διαλέκτου § IV.: Τισὶ δὲ ὀνόμασι θηλωνοῖς αἰτιατικῆς πτώσεως το ἰ προστιθέασιν, ὅταν λέγωσιν ἐντὶ τοῦ καλὰς καλαῖς καὶ ἐντὶ τοῦ σοφὰς σοφαῖς.

**) Valken. ad Ammon. pag. 230. Ammonius ed. Ammon. p. 284.: Αἴξ ἢ αἶγα μηνᾶται.

tina non solum vocabulum hebdomas e lingua graeca derivatum, sed etiam hebdomada habet. Quidni et hoc integrum de lingua graeca in latinam irrepsisse statuamus? Graeci antiquiores fortasse et ἡ εβδομας et ἡ εβδομάδα promiscue usi sunt.

Secundae declinationis est magna copia diminutivorum (ὑποκοριστικῶν) linguae hellenicae, quibus lingua neo-graeca pro primitivis utitur exempli causa: τὸ παιδίον, τὸ κοράσιον, τὸ ποδάριον, τὸ τραπέζιον, τὸ ὀψάριον, τὸ φεγγάριον, τὸ κεφάλιον, τὸ ὀμμάτιον, τὸ ὠτίον sive αὐτίον*), τὸ ψωμίον multaque alia. Corais diminutiva illa a poetis comicis primis in usum vocata, paulatim in vulgi sermonem transiisse putat. Qua in re non in eandem cum hoc viro doctissimo sententiam abeo. Vulgi sermonem jam multo ante poetas comicos diminutiva illa habuisse potius statuerim, quamquam negari non potest, nonnulla risum movendi gratia ab iis inventa esse. Nam quod diminutiva maxime a comicis adhibita sint, propterea pleraque ab ipsis ficta velle, levis sententia est.

In neutris secundae declinationis proprietas quaedam in utraque lingua obtinet. Terminationi vocis in numero plurali interdum syllaba τα adjungitur. Quemadmodum Neo-graeci dicunt τὰ προσώπατα, τὰ ἀλόγατα pro τὰ πρόσωπα, τὰ ἄλογα, sic et Graeci antiquiores τὰ προσώπατα pro τὰ πρόσωπα interdum adhibuerunt**). In utriusque linguae declinationibus ellipses statuuntur; dicitur enim ὁ Σμύρνης, ὁ Ἐφέσον pro ὁ δεσπότης seu ἐπίσκοπος τῆς Σμύρνης, τῆς Ἐφέσον; hunc usum profectum esse putant a scriptoribus ecclesiasticis. Praeterea quemadmodum illud ἐν ᾿Αιδον, εἰς ᾿Αιδον lingua antiquior exhibet, sic eadem ellipsis et in lingua neo-graeca occurrit, ut κάθομαι εἰς τοῦ Οἰκονόμου

*) αὖς, αὐτός, τό, lacon. pro οὖς.

**) Jules David, Methode pour étudier la langue grecque moderne pag. 15. 2. Homeri Odyss. 18. 191. Maced. ep. 11. Jac. A. L. p. 394.

habito in domo Oeconomi, aut θὰ πάγω ἀπόψε εἰς τοῦ Βάμβα ibo hodie vesperi ad Bambam *).

Graeci antiquiores interdum numero plurali pro singulari sine causa ut videtur utebantur, id quod locus ille apud Plutarchum testatur: δόξας κατὰ τοὺς ὑπνονες σφάττειν αὐτόν, sic Neo-graeci: ποῖος ἔχυσε ταῦτα τὰ νερά; quis hanc aquam profudit? Adde locum apud Joannem 3, 23: Καὶ ὁ Ἰωάννης ἦτον εἰς τὴν Αἰνὼν κοντὰ εἰς τοῦ Σαλήμ, καὶ ἐβάπτιζεν, οὗτοι ἦσαν πολλὰ νερά ἐκεῖ.

Genitivus (ἡ γενική) in utraque lingua ad modum et aetatem significandam adhibetur. Neo-graece dicitur verbi causa: τριῶν χρόνων παιδί puer tres annos natus, πόσων χρόνων εἶσαι quot annos natus es? Graecos antiquiores eadem constructione usos fuisse testis est Polybius: ἅ, ὧν κατὰ τὴν ἡλικίαν ἐτῶν ἐννέα.

Dativus (ἡ δοτική) non prorsus excidit e consuetudine Graecorum recentiorum quod loquendi formulae testantur haec: τῷ Θεῷ, τῷ ὄντι, ἐν Χριστῷ, ἐν παρόδῳ, ἐν ταύτῳ, ἐν χρήσει, λόγῳ καὶ ἔργῳ, ἐν ἡσυχίᾳ, τὸ ἐν ἡμῖν καλὸν, πρὸς τοῦτοις, τὰ τοῦτοις παραπλήσια, ἐν ᾧ, ἐν καιρῷ, τὸ βιβλίον ἐτυπώθη ἐν Βιέννῃ et nonnulla id genus alia; nihilominus rarissime in usum vocatur, quum in ejus locum suffectus sit accusativus cui praepositio εἰς adjungi solet, exempli causa: δίδω τὸ ψωμί εἰς τοὺς πτωχοὺς do panem pauperibus. Quae potest causa esse hujus constructionis? num Graecis antiquioribus peculiaris fuit nec ne? Ad haec respondeo, non fuisse quidem eam communem, sed tamen minime inauditam. Id solum est quod mireris, formas rariores easque in lingua recentiori servatas totum dicendi genus adeo immutasse, ut quae erat exceptio, regula facta sit. Sexcenta adferre possis, e quibus liquet, Graecos antiquiores ut Graeci hodierni paene semper consueverunt, accusativo praepositione εἰς addita pro dativo usos fuisse. Exemplum nonnulla adferre animus est, quibus alii in Graeco-

*) Julius David: Συνοπτικὸς παραλληλισμὸς τῆς ἑλληνικῆς καὶ γραιικῆς γλώσσης, pag. 116.

rum scriptis magis versati addant quae huc conveniunt. Soph. Oed. Col. V, 1761: μήτε πελάζειν ἐς τοὺςδε τόπους pro τοῖςδε τόποις. Oed. Col. 976: εἰς οὓς τ' ἔδρων. Soph. Ajax v. 80: ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον ἐς δόμους μένειν. Eurip. Iphig. T.: ἀλλ' εἰς ἀνάγκην κείμεθ' ἦν φυλακτέον. Arist. eq. 657: ἐπένευσεν εἰς ἐμ' ἡ Βουλὴ πάλιν. Herod. 3, 65: καταλελάβηκε ἐμὲ τοῦτο ἐς ὑμέας ἐκφῆναι. Ib. lib. I. c. 41: . . . ὀφείλεις γὰρ ἐμεῦ προποίησαντος χρηστὰ ἐς σέ, Soph. Oed. rex.: ἐς πάντας αὖδα . . . Plutarch. in vita Poplicolae c. 17: ἦν ἀνὴρ εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀγαθός, ἐν δὲ τοῖς πολλοῖς ἀριστος. Plutarch. Themist. c. X: ἐξήγγελλον εἰς τοὺς πολλοὺς. Xenoph. hellen. lib. II. c. 2, 14: οἱ δὲ πρέσβεις, ἐπεὶ ἦγον οἰκόνδε καὶ ἐπήγγειλαν ταῦτα εἰς τὴν πόλιν, ἀθυμία ἐνέπεσε πᾶσιν, paulo infra autem Dativus obtinet lib. II. c. 2, 17: ἀπήγγειλαν ἐν ἐκκλησίᾳ. Joannes Diaconus in scholiis ad scutum Herculis 207: ἐκράτει δὲ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ δίκτυον ἰχθύων. Fab. Aesop. LV: κορυδαλὸς εἰς πάγην ἀλοὺς. Fab. Aesop.: Τὶ ἔχω εἰς τὰς χεῖρας μου. Herod. lib. VII, 223: ἐπεδείκνυντο θώμης ὅσον εἶχον μέγιστον ἐς τοὺς βαρβάρους. Thucid.: ἀ, η, Ἐπεψήφισεν αὐτὸς ἔφορος ὢν ἐς τὴν ἐκκλησίαν τῶν Λακεδαιμονίων. Herod.: ἐ, Σὺ ἐς οἶκον τὸν βασιλέως ἐξηγητὴς γίνεαι προημάτων ἀγαθῶν. Herod.: ἡ, Ἐς τὴν Σαλαμῖνα ὑπέκκειται ἡμῖν τέκνα τε καὶ γυναῖκες. Philo tom. II. p. 74: . . . εἰς τὸ ἔδαφος κεῖται (τὰ φύλλα scilicet). Sic etiam nomina propria occurrunt, in quibus accusativus pro dativo obtinet, verbi causa ἐς Ἄλιν non est Elidem sed in Elide *). Herod. lib. VII, 33: ὅς καὶ ἐς τοῦ Πρωτεσίλειω τὸ ἱερὸν τὸ ἐς Ἐλαιοῦντα ἀγινεόμενος γυναῖκας, etc. Exempla illa allata sufficere existimaui, ut probarem sermonem hellenicum ac neo-graecum accusativum eundem exhibere. Praecipue verbum κεῖσθαι accusativum loci postulat, quamquam potius cum dativo construendum videtur, utpote quod non motum sed statum denotet. Ellipsis igitur statuenda est. Graeci enim

*) J. Ch. Vollbeding: Griechisch-deutsches Handwörterbuch, berichtet von J. G. Haas.

verbum motionis ut *φέρεθαι* vel *ἄγεθαι* in animo habentes, quamquam id non enuntiant, tamen cogitantes pro vi et potestate quam habet, accusativum posuerunt, ita ut accusativus non ob verbum expressum, sed ob illud quod loquenti in mente erat adhibeatur. In exemplo supra allato τὰ φύλλα εἰς τὸ ἔδαφος κεῖται quaedam omissa cogitare licet, ita quidem ut phrasis integra esset: τὰ φύλλα ὑπὸ τοῦ ἀνέμου ἀρπασθέντα καὶ εἰς τὸ ἔδαφος πεπιτωκόμενα ἐν τῷ ἔδάφει κεῖται. Verbum motionis, quod saepissime tantum cogitatur, interdum antecedit exempli causa: Herod. lib. III. 100: ὃς δ' ἂν ἐξ νοῦσον αὐτέων πέση, ἐλθὼν ἐς-τὴν ἔρημον κέεται *).

Duplex accusativus, quo antiqui scriptores tam frequenter usi sunt, non solum in lingua neo-graeca inest, sed etiam adeo ei peculiaris est, ut vix aliud dicendi genus admittat. Graeci antiquiores dicebant ἐνδύω αὐτὸν χιτῶνα; recentiores pari modo τὸν ἐνδυσε ῥάσον, induit ei pallium cucullatum monachicum.

Accusativus in lingua hellenica statum quoque aut corporis habitudinem, seu, ut aliis verbis dicam, relationem quandam denotat, quae inter subjectum et objectum efficitur. Exemplo inserviat illud τοὺς πόδας ὥκῃς Ἀχιλλεὺς pedibus velox Achilles. Usus ille duplicis accusativi hodie quoque in lingua neo-graeca frequentissimus est quod testantur haec: Γερμανὸς τὸ γένος, μεγάλος τὸ ἀνάστημα aliaque hoc genus multa. Verbum *πονεῖν* in lingua hellenica accusativum desiderat, id est, ea corporis pars qua quis laborat, accusativo ponitur, ut *πονῶ τοὺς πόδας, τὰ σκέλη*, laboro pedibus, cruribus. Graeci hodierni hanc phrasin sic invertere maluerunt ut dicant: *μὲ πονοῦν τὰ ποδάριά μου*. Nihilominus hunc accusativi usum hodiedum sermoni vulgari peculiarem esse, testis est Julius Davidus; narrat enim sibi in Chio insula feminam obviam factam esse rubris ac turgidis oculis laborantem, e qua quum quaesivisset quid mali eis inesset se responsum tulisse hoc: *πονῶ τὰ* (scilicet τὰ

*) Confer Zumptii *grammat. lat.* p. 292, §16 sub finem.

δουμάτια). Non possum quin testimonio hujus viri fidem habeam, hoc exemplum ab ipso allatum, jure hellenici dicendi generis in recentiorum sermone servatum ducens*).

Accusativus generis neutrius apud Neo-graecos locum adverbii tenet; dicunt enim αὐτὸς ὁμιλεῖ καλὰ pro καλῶς. E scriptis veterum Graecorum sexcenta afferre possis exempla, e quibus elucet ionicae et quam dicunt epicae dialecto hunc usum valde peculiarem esse. Hom. II. VI. 326:

Δαιμόνι' οὐ μὲν καλὰ χόλον τὸνδ' ἔνθεο θυμῷ.

Odys. lib. XV. 10:

Τηλέμαχ' οὐκέτι καλὰ δόμων ἀπὸ δῆν ἀλάλησαι.

II. VIII. 400:

..... οὐ γὰρ καλὰ συνοισόμεθα πτόλεμόνδε.

In epistola quam Thaletem ad Pherecydem scripsisse ferunt haec leguntur: σὺ μὲν τοι χωροφιλέων ὀλίγα φοιτέεις ἐς Ἰωνίην, namque tu loci illius amore detentus raro in Ioniam transis **).

De comparatione adjectivorum.

Neo-graeci in comparationibus a majorum consuetudine discessisse vulgo putantur, utpote qui neque particula ἢ neque hac omissa genitivo utuntur, sed soloecismum, immo ut primo quidem videtur barbarismum secuti praepositiones παρὰ vel ἀπὸ adhibeant. e. g. Καὶ οἱ ἄνθρωποι ἀγάπησαν περισσότερον τὸ σκότος παρὰ τὸ φῶς, ὃ Ἀχιλλεὺς εἶναι δυνατώτερος ἀπὸ vel παρὰ τὸν Αἴαντα, quam phrasin hellenice reddas: Ἀχιλλεὺς ἐστὶν ἰσχυρότερος Αἴαντος. Quamquam haec constructionis ratio saepissime occurrit in veterum scriptorum libris, tamen loci innumerabiles paululum eos pervolventi se ostendunt, e quibus liquet, quam crebro etiam παρὰ, rarius ἀπὸ praepositiones in usum vocatae

*) Συνοπτικὸς παραλληλισμὸς τῆς ἑλληνικῆς καὶ γραικῆς γλώσσης, p. 85 haec leguntur: ἤμουσα εἰς τὴν Χίον μίαν γυναιῖνα ἣ ὁποῖα εἰς τὴν ἐρώτησιν ταύτην, νῆπι εἶναι κόκκινα καὶ πρησμένα τὰ μάτια σας; ἀπεκρίθη· πονῶ τὰ, συνευδοχικῶς.

**) Diog. Laert. ed. P. D. Longolius tom. I. pag. 44.

fuerint. Nec est quod mireris, dummodo naturam et indolem harum praepositionum probe cognoveris. *Παρά* enim interdum eundem significatum habet quem latinorum praeter. Thuc. I. 23: *Ἡλίου ἐκλείψεις πικνότεραι παρὰ τὰ ἐκ τοῦ πρὶν χρόνου μνημονευόμενα ξυνέβησαν*, solis defectiones crebriores evenerunt praeter eas quarum e prioribus temporibus mentio facta fuerat*), ita ut commode etiam vertere possis: solis defectiones illo tempore crebrius quam ante commemoratae inciderunt. Bas. Erot. III.: *Δεινότερον τὸ ἐν μολισμῷ ψυχῆς τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ παρὰ τὸ αἵψα-θαι κριῶν ἢ ταύρων*, tangere Christi corpus in animi pollutione formidabilius est quam ad arietes et tauros appropinquare. Respondet etiam *παρὰ* latinae particulae ad ut in loco illo Cornelii Nepotis in vita Epam.: haec ad nostram consuetudinem levia sunt, quae verba veritas: „diefs ist im „Vergleich vel im Verhältniß zu unserer Gewohnheit unbedeutend.“ Diod. Sic. lib. I. c. 38: *παρὰ φύσιν ἐλάττονα γίνεσθαι τὸν ποταμόν*, quae phrasis in linguam vernaculam translata sonet: „der Fluß werde kleiner im Verhältniß zu seinem natürlichen Zustande“ **). Praepositio *ἀπὸ* a Graecis veteribus interdum adhibita in comparationibus sejunctionem seu secretionem significat. Diod. Sic. lib. XII. cap. 12: *Ἐγραψε οὖν καὶ ἕτερον νόμον ἀπὸ τούτου κρείττονα*, quo loco praepositionem omittere licebat, ni forte alii hunc locum aliter interpretabuntur. Ego eum sic intelligo ut sententia sit: conscripsit igitur et aliam legem illa quam antea tulerat meliorem. Exemplis illis adde haec: Lucian. Alex. XLIII.: *Εἰπέ γάρ μοι ἔφη ὃ δέσποτα Γλίκων τίς εἶ; ἐγὼ, ἡδ' ὅς ᾽Ασκληπιὸς νέος ἄλλος παρ' ἐκείνον τὸν πρότερον*, alius praeter illum priorem, quam ille prior. Aristot. Physicor. IV. cap. 2: *ἔστι δὲ τοιοῦτον ἢ ὕλη καὶ τὸ ἀόριστον· ὅταν γὰρ ἀφαιρεθῇ τὸ πέρας καὶ τὰ πάθη τῆς σφαίρας, λείπεται οὐδὲν παρὰ τὴν ὕλην* nihil

*) Math. Gramm. gr. § 455.

** Conf. Herod. lib. VII. 103: *γενοίατ' ἂν, δειμαίνοντες τοῦτον, καὶ παρὰ τὴν ἑωυτῶν φύσιν ἀμείνονες*

praeter materiam reliquum est. Reperimus etiam in scriptura sacra locos nonnullos ubi *παρὰ* in comparationibus exhibetur. Luc. 3, 13: *πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον*. Heb. 11, 4: *πλείονα θυσίαν Ἀβελ παρὰ Κάιν προσήνεκε*. Hebr. 1, 4: *τοσοῦτῳ κρείττον ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα*. Sed non solum *παρὰ* et *ἀπὸ*, sed etiam *ὑπὲρ* et *ἐπὶ* in comparationibus scripta veterum Graecorum exhibent. Odyss. 7, 216:

Ὅτι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο
nihil sane odioso ventre impudentius est. Luc. 16, 8: *φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτός*, qui plus sapiunt quam filii lucis.

Pertinet huc ut particulam *λὶν* afferam, quae augendi causa in lingua neo-graeca quibusdam adjectivis anteponitur e. g. *λὶν πλούσιος* valde dives, ditissimus. Nemo non videt hanc particulam nihil aliud esse nisi *λίαν* in ore Graecorum recentiorum servatum *).

De verbo auxiliari.

Iam de affinitate, quae inter veteris atque recentioris sermonis verbum auxiliare intercedat, disputaturus formas ejus verbi, quales in utroque sermone in usu sunt, adponam.

*) Russiades grammatica neo-graeca pag. 163.

neo-gr.		hellen.		
Praesens.		Indicat.	Conjunct.	Optat.
Indicat.	Conjunct.	εἰμί (εἶς) εἶ ἐστί ν)	ᾧ ᾧς ᾧ	εἴην εἴης εἴη
εἶμαι	νὰ ᾧμαι	d. — —		d. — —
εἶσαι	νὰ ᾧσαι	ἐστόν		εἴητον
εἶναι	νὰ ᾧναι	ἐστόν		εἴητην
εἴμεθα	νὰ ᾧμεθα	p. ἐσμέν		p. εἴημεν
εἴσθε	νὰ ᾧθε	ἐστέ		εἴητε
εἶναι	νὰ ᾧναι	εἰσίν(ν)		εἴησαν vel εἴεν
Imperfectum.		Imperfectum.		
ᾧμην		ᾧν		
ᾧσον		(ᾧς) vel ᾧσθα		
ᾧτο		(ᾧ) vel ᾧν		
ᾧμεθα		d. — — —		
ᾧσθε		ᾧτον vel ᾧστον		
ᾧσαν		ᾧτην vel ᾧστην		
		p. ᾧμεν		
		ᾧτε vel ᾧστε		
		ᾧσαν		
Aor.				
ἐσάθην				
Plusquamperf.				
εἶχα σταθῇ				
Futurum.		Futurum.		
θήλω εἶσθαι		ἔσομαι		
Imperativus.		Imperativus.		
ἔσο		ἴσθι		
ᾗς ᾧναι		ἔστω		
ᾗς ᾧσθε		d. ἔστον		
ᾗς ᾧναι		ἔστων		
		p. ἔστε		
		ἔστωσαν, ἔστων		
Participium.		Participium.		
ὄντας indecl.		ὄν, ὄσθα, ὄν gen. ὄντος		
Infinitivus.		Infinitivus.		
.....		εἶναι		

Primo quidem adspectu magna formarum ejus verbi in utraque dialecto diversitas videtur obtinere, sed re accuratius perpensa aliter judicandum est. Occurrunt plus semel formae *ἡμην* pro *ἦν* et *ἡμεθα* pro *ἡμεν* in veterum Graecorum scriptis. Vide Rostii grammaticam graecam, p. 250. Mathiaei gr. gr. p. 279. Thierschii gr. gr. p. 173. § 122. 2. Praeterea conferantur loci quidam Novi Testamenti. Act. Apost. 10—13: ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἡμην νηστεύων. Matth. 23—30: Καὶ λέγετε· εἰ ἡμεθα ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, οὐκ ἂν ἡμεθα κοινωνοὶ αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν. 1 ad Corinth. 13—11: Ὅτε ἡμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν. Joh. 11—15. Ibid. 16—4. Ibid. 17—12.

Quamquam forma imperativi linguae veterum Graecorum est ἴσθι, nihilominus ἔσο non alienum esse a veterum consuetudine testatur Matth. pagina supra notata his verbis: „Statt ἴσθι (z. B. ξύσισθι Plato Rep. I. p. 149) gab es auch eine alte Form ἔσο, ἔσσο. Od. α 303. γ' 200, wovon die übrigen Personen fast regelmässig abstammen, wie τίθεςο, τιθέσθω. Conf. et Thierschii gr. gr. p. 372. § 225. C.

Itaque quum et in vetere lingua formae mediales inveniuntur verbi auxiliaris, nihil vetat quominus conjiciatur, verbi auxiliaris formas medias apud hodiernos Graecos usurpatas, longe antiquissimas esse; formas autem *εἰμι*, *εἰς* etc. activas subsequenti demum tempore, quum lingua graeca magis excoli coepit, invaluisse autumo. *Εἶσθαι*, quod cum *θέλω* conjunctum formationi temporis futuri inservire solet, nihil aliud est, quam infinitivus verbi *εἶμαι*. *Ἐστιάθην* partem esse verbi hellenici ἴστημι vix est quod moneamus. Forma tertiae personae numeri singularis *ἔστι* nequaquam e lingua neo-graeca excidit; apparet enim sub forma *ἔστι*, quod in affirmationibus pro *οὕτως* adhibetur. Quae cum ita sint, non *ἔτι*, ut vulgo fit, sed *ἔστι* scribendum esse puto.

De verbo in universum.

Verbum, quale in lingua neo-graeca se offert, non tantis mutationibus est obnoxium quantis in lingua hellenica,

in qua tenuissima discrimina significationum in verbis accuratissime notantur. Vox activa et passiva in utraque lingua inter se concinunt. Sic veteres recentioresque Graeci in actionibus per alium conficiendis activum adhibere solent. Neo-graeci v. c. dicunt: *Ἐὰ τυπώσω ἐτοῦτο τὸ βιβλίον εἰς ἐκείνην τὴν τυπογραφίαν*, in officina illa hunc librum imprimendum curabo. Qua cum phrasi congruit locus ille Xenophontis: *Γινὼς δὲ αὐτὸς ὁ Περσῶν βασιλεὺς Τισσαφέρην αἴτιον εἶναι τοῦ κακῶς φέρεσθαι τὰ αὐτοῦ Τιθραύστην καταπέμψας ἀποτέμνει αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν*. cum autem ipse Persarum rex intellexisset, Tissaphernem causam sustinere quod res suae male agerentur, Tithraustem demisit et caput amputavit; non quidem rex ipse sua manu, sed Tithraustes patravit rem iussam a rege Persarum. Vocis mediae in lingua neo-graeca non tam frequens usus est, quam in lingua hellenica, nihilominus in quibusdam locutionibus occurrit, ut testatur exemplum hoc: *μὴν ὑπάγῃς νὰ παραλείβεις τοὺς ἀνθρώπους ἐπειδὴ εἶναι σκορδοῦλα*, cave ne hominibus te atteras, grassatur enim pestis. Huc pertinent phrases haec: *ὁ δεῖνας ἐχωρίσθη τὴν γυναῖκά του*, ille divortium fecit cum uxore, *τέλος πάντων ξεφορτώθηκα τὸν ἄνθρωπον*, tandem illo homine liberatus sum *), *ἀγκαλιασθήκαμεν*, amplexi sumus inter nos invicem. *Ἀνταμωθήκαμεν*, obviam facti sumus nobis invicem. Dicitur etiam: *κτυποῦμαι τὸ κεφάλι*, offendor capite, quam phrasin hellenice reddas: *πλήττομαι τὴν κεφαλὴν*. Vox passiva etiamsi in lingua hellenica et neo-graeca congruit, in hac nonnunquam locum vocis mediae explet; dicitur enim aequè bene: *ἐνδύνω τὸν ἑαυτόν μου* et *ἐνδύνομαι*, *ξυρῶ τὸν ἑαυτόν μου* et *ξυρίζομαι*.

De modis.

De indicativo et conjunctivo verba facere supersedeo, namque eodem fere modo in utraque lingua usurpantur. Optativi forma, qualem lingua antiquior exhibet, caret lingua

*) Conf. Hom. Od. lib. IV, 263: *παῖδα τ' ἐμὴν νοσφισσαμένην, θάλαμόν τε πόσιν τε*,

recentior paucis formationibus exceptis. Huc pertinet illud *μὴ γένοιτο*. Pro optativi forma utuntur Neo-graeci conjunctivo conjunctione *ἄμποτε* *νὰ* addita e. g. *ἄμποτε νὰ τὸν ἰδῶ*, hellenice: *ἰδοίμι αὐτόν* utinam eum videam. Qua ratione autem conjunctio *ἄμποτε* e veteri lingua oriri potuerit, paulo infra dicemus.

Infinitivus non amplius in usu est, nisi quod interdum locum substantivi tenet ut *τὸ γράφειν*, *τὸ ὀμιλεῖν*. Locum illius explet conjunctivus particula *νὰ* sive *ἵνα* adjuncta. Quae infinitivi dissolutio originem trahit e scriptura sacra, ut ex hac phrasi elucet: *Εἰπὲ αὐτῇ ἵνα μοι συναντιλάβηται*, neo-graece: *Εἰπὲ τῇν νὰ μὲ μεταπιάσῃ εἰς τὸ ἔργον*. Johann. 16,7: *συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω*, neo-graece: *συμφέρει εἰς ἑσᾶς νὰ ἀναχωρήσω*. Infinitivum futuri activi et passivi, praeterea aoristi in lingua recentiore, licet quodammodo mutilatus appareat, superstitem esse videmus. Futurum activi formatur verbo auxiliari adhibito *θέλω* *γράφει*, quod litera *ν* restituta infinitivum *γράφειν* exhiberet. Futurum passivi habet *θέλω* *γραφθῇ*, quod litera *ν* restituta, nihil aliud esse potest, quam infinitivus *γραφθῆν*, quam formam apud Aeoles in usu fuisse constat.

Imperativus praesentis in utraque lingua idem est; adhibetur enim, quoties cogitatur actio reiterata, aut officium, aut debitum, quo quis obstrictus aliquid facere jubetur. e. g. *τίμα τοὺς γονεῖς* cole parentes, non quidem semel, sed per totum vitae tuae tempus, quoniam colere eos officium jubet. Sin vero actio non repetenda cogitatur, in utraque lingua aoristus obtinere solet. Arist. nub. 312: *φράσον τίνες εἶσ' ὧ Σόκρατες αὐταί;* 323: *ἤδη γὰρ ὀρῶ κατιούσας ἡσύχως αὐτάς* (scilicet nubes). Streps. *φέρε ποῦ; δεῖξον*. Athan. Christopul. 5.1: *Ἔγωτα παύσαι, ἂν μ' ἀγαπᾷς*. Aoristus in lingua neo-graece non exit in *ον*, ut in lingua hellenica, sed in *αι*, ita ut non *γράφον* sed *γράψαι* dicant. Hanc formam ego quidem meram infinitivi habeo. Constat enim, jam veteres scriptores infinitivum nonnunquam pro imperativo usurpasse. Hom. Odys. I. 290:

Νοστήσας δὴ ἔπειτα φίλην ἐς παιδίδα γαῖαν,
 σῆμά τε οἱ χεῖναι, καὶ ἐπὶ κτέρεα κτερεῖξαι
 πολλὰ μάλ', ὅσσα ἔοικε, καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι *).

Usum illum sane rariorem, tempore subsequenti magis magisque invaluisse puto, ita ut Graeci recentiores infinitivi aoristi formam pro imperativo adoptaverint. Veteres recentioresque Graecos a regula illa, quam supra de significatione imperativi attuli, interdum recedere, vestigia non pauca apparent. Quod tamen haud sine causa accidere paulo post demonstrabitur. In loco illo Anacreontis Odar. III. 10: Ὁ δὲ Ἐρως, ἄνοιγέ, φησι, praesens pro aoristo a poeta usurpatum videmus. Causa hujus rei haec est: Amor praestolatur ante ostium, idque sibi aperiri jubet frigore intolerabiliter torpens, ita ut prae nimia impatientia ostium continue aperiendi actionem iteratam cogitatione sibi fingat. Hujusmodi exempla permulta inveniuntur apud scriptores Graecorum antiquorum. Arist. nub. 181: ἄνοιγ, ἄνοιγε ἀνύσας τὸ φροντιστήριον, καὶ δεῖξον et versu 183: μαθητιῶ γὰρ ἄλλ' ἄνοιγε τὴν θύραν. Jubet aliquam rem fieri Strepsiades, cujus tanquam praesentem et vividam imaginem animo suo intuendam proposit, ut hanc non semel, sed iterum atque iterum fieri cogitet; itaque museum illud, in quod inire cupit, non semel, sed iterato aperiri ei videtur. Graeci recentiores illum antiquiorum loquendi usum sequuntur; nam cito sibi ostium aperiri desiderantes, non aoristum ἀνοίξαι, sed praesens ἄνοιγε (δὲ) aperi (tandem) adhibent.

De modis tractanti mihi quaedam de participio addere visum est. Participium praesentis in ore Neo-graecorum vulgarium exit in *οντας*, ut *γράφοντας* indeclinabile, licet in scriptis styli elegantioris more Graecorum veterum *γράφον*, *γράφονσα*, *γράφον* occurrat, quemadmodum in iis et aoristi forma *γράψας*, *γράψασα*, *γράψαν* obtinet.

Nominativum, quem absolutum dicunt in lingua hellenica, haud raro occurrere res nota est. v. c. *εὐωχούμενοι οἱ στρατιῶται ἐνκριεύθη ἡ πόλις*, sic in lingua neo-graeca

*) Rost. gramm. gr. p. 654. annot. 6.

saepissime adhibetur, ut in his: περιπατῶντας ἐγὼ ἔπεσε κεραυνός, δίδωντας ὁ θεὸς ὁ φθόνος δὲν ἔχει δύναμιν καθόλου· περιπατῶντας et δίδωντας nihil aliud esse quam περιπατῶν et δίδων, syllaba *ιας* vulgi consuetudine adjuncta, nemo negabit. Participium praesentis passivi in utraque lingua idem est; perfectum vulgus augmento privare solet, dicens: γραμμένος pro γεγραμμένος. Quoad usum et significatum participii perfecti passivi magna similitudo se offert utriusque linguae, quod elucet ex iis, quae sequuntur. Cyropaed. 7, 4, 6: Ἦκε δὲ καὶ ὁ Κροῖσος γεγραμμένα ἔχων ἀκριβῶς ὅσα ἐν ἐκάστη ἦν τῇ ἀμάξει. Non solum scripserat accurate, quae in quoque plaustro inerant, sed etiam haec scripta servabat. Conferendus est versus e carminibus popularibus petitus:

Τραπεζὶν ἐχ' ὁ βασιλεὺς καὶ μ' ἔχει καλεσμένον *).

Mensam habet rex et me habet invitatum.

Praeter nominativum absolutum occurrit etiam genitivus absolutus in lingua neo-graeca; phrases id genus nonnullae quales θεοῦ διδόντος, χρειᾶς τυχούσης reliquiae sermonis hellenici habeantur.

De temporibus.

Temporum formationes, quales in lingua neo-graeca apparent, profecto quibusdam immutationibus differunt ab iis, quas linguae veteri peculiares esse videmus. Perfectum enim deest, plusquamperfectum et futurum verbis auxiliariis adhibitis ἔχω et θέλω formari solent. e. g. εἶχα γράψει, θέλω γράψει(ν). Loci, in quibus similis constructionis ratio et apud veteres Graecos obtinet conferantur hi: Herod. 1, 109: εἰ δὲ θελήσει ἐς τὴν θυγατέρα ταύτην ἀναβῆναι ἢ τυραννίς, ubi Herod. aequè bene εἰ δὲ ἀναβήσεται scribere poterat. Platon. Phaedr. c. 5. p. 230. H. St.: τὰ δένδρα οὐδὲν με θέλει διδάσκειν; Aristoph. Vespaie 534: ἐθέλει κρατῆσαι. Conf. et Corais ad Isocrat. p. 244. Hase

*) Fauriel, Chants populaires de la Grèce moderne IV. le musicien et l'esprit.

ad Leon. Diacon. p. 291. In passivo *εἶχα γραφθῆναι*, *θέλω γραφθῆναι* (ν). Praesens, imperfectum et aoristus primus in utraque lingua ejusdem formationis ejusdemque significatio-
nis est, licet vulgus *ἔγραφα* pro *ἔγραφον* et *ἔγραφαν* pro *ἔγραφον* num. pl. dicere consueverit. Quoad aoristum se-
cundum, permultae reliquiae illius invenies, si tabulas ver-
borum irregularium linguae neo-graecae inspexeris. Sin-
gula adferre longum esset, quapropter lectorem ad gram-
maticam neo-graecam delegamus *). Sermo vulgaris sae-
pissime augmentum omittit, habet enim *ἄκουσα* pro *ἤ-
κουσα*. Hoc a veterum Graecorum sermone haud alienum
est; dialectus epica et ionica, insuper et dorica augmentum
rejecere amat; sic dicitur *ὄλχετο* pro *ῥέχετο*, dorice *ἄκουσα*
pro *ἤκουσα* **).

Utrique linguae usus imperfecti communis est. Adhi-
beri solet in actionibus, quae iteratae cogitantur, aut in iis,
quae ob difficultatem, qua impediuntur tempus diuturnum
requirunt. Hanc ob causam in statuīs, in quibus nomen
statuarii seu sculptoris inscriptum invenitur, nomini addi-
tum est: *ἐποίει*, non *ἐποίησε*, quoniam statuarius multam
operam in statua conficienda collocavit; namque bonam et
omnibus partibus absolutam statuam sculperē, non unius est
diei, sed laboris assidui et diuturni. Sic in lingua neo-
graeca *ἔγραφα εἰς τὸν ἀδελφόν μου τὸν χρόνον ἀπερασμένον*
est: scribebam fratri anno praeterlapso, seu mutuum habui
cum eo epistolarum commercium, *ἔγραφα εἰς τὸν ἀδελφόν
μου* autem est: semel tantum certo tempore ad eum scripsi.
Lucian. asin. § 19: *Λαβόντες αὐτὸν τῆς οὐρᾶς ἀνεγείρειν
ἐπειρῶντο*, et in sequentibus: *ξύλῳ παίοντες ἀναστῆναι τὸν
ἄθλιον ἐκέλευον*. Imperfectum hic quoque obtinere videtur,
ut quemadmodum sit operosum, asinum ad surgendum im-
pellere significetur. Nonnunquam imperfectum usurpatur
de actionibus, quarum ex regula allata aoristum requirimus.

*) Jules David, Méthode pour étudier la langue grecque mo-
derne p. 61.

**) Rost. gramm. gr. p. 377 a.

Aristoph. nub. 57: οἶμοι· τί γάρ μοι τὸν πότην ἤπτες λύχρον; imperfectum hic obtinere arbitror propter indignationem loquentis, re inopportune acta et tanquam errorem illius, a quo perfecta est, reprehendentis et augentis. Lingua neo-graeca hanc phrasin pari modo imperfecto reddit: διὰ τι ἀναπτες τὸν λύχρον, ut indignati etiam dicere consueverunt: διὰ τι ἔτρεχες, quae phrases in vernaculam versae sonant: „was zündetest du das Licht an?“ et ut cum vulgo loquar: „was brauchtest du das Licht anzuzünden, was brauchtest du erst zu laufen?“

De conjunctionibus.

Conjunctiones duas tantum adferre lubet, quibus Neo-graeci saepissime ut optativum exprimant, utuntur. Sunt autem hae duae: ἄμποτε utinam, et ἄς particula abhortatoria. Illa orta videtur e particula ἄν et adverbio temporis; ἄμποτε igitur propter cognationem, quae est inter ἄν et εἰ, eandem significationem habere videtur atque illud Homeri εἴποτε, quod alii aliter interpretati sunt in loco illo Iliad. III. 180:

Δαῖς ἀντ' ἐμὸς ἔσκε κνῶπιδος, εἴποτ' εἴην γε.

Wolfius et Schützius recte vertunt: „ach wäre er es doch noch“ (*). Vossius paulum mihi videtur aberrare a sententia scriptoris, vertens: „Schwager war er mir worden, ach er war es! **)

Simili modo Neo-graeci utuntur particula ἄς, ut optativi et conjunctivi significatum expleant; formam optativi enim linguae hellenicae peculiarem, non amplius superstitem esse in lingua neo-graeca supra monuimus. Illud ἄς contractionem esse duco pro ἄφες, literis mediis elisis. Non desunt exempla in scriptis veterum Graecorum, quae usum illius ἄφες cum conjunctivo, qui hodiernis Graecis mos est,

*) Vollständiges griechisch-deutsches Wörterbuch über die Gedichte des Homeros und der Homeriden, von G. Ch. Crusius, pag. 143.

**) Conf. Odys. XV. 268. ib. XIX. 315.

ne antiquioribus quidem Graecis ignotum fuisse satis testatur. Quorum exemplorum unum adferre visum est. Occurrit locus in Novo Testamento. Math. c. 27. v. 49: "Αφες ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἡλίας σῶσων αὐτόν *), quam sententiam Vulgata vertit: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. In linguam neo-graecam versa sonat: "Ας ἴδοῦμεν ἂν ἔρχεται ὁ Ἡλίας διὰ τὰ τὸν γλυτώσῃ.

De praepositionibus et adverbio.

¹ Ἀνὰ praepositionis reliquiae inveniuntur in compositionibus ἀνάμεσα, ἀναμεταξύ. e. g. εἶχαν χορὸν ἀναμεσά τους, habebant chorum inter se, ἀνάμεσα τοῦ σπητιοῦ καὶ τοῦ περιβολιοῦ, inter domum et hortum.

² Ἀντὶ Graeci recentiores eadem significatione atque veteres adhibent, v. c. μὴ ἀνταποδίδης κακὸν ἀντὶ κακοῦ, tu ne maleficia malefactis pensa. Ante vocalem accipit literam σ. v. c. ἀπέκτησες φίλον ἀντὶς ἐχθροῦ, pro inimico amicum nactus es.

³ Ἀπὸ in lingua recentiori accusativum postulat, nihilominus interdum more Graecorum antiquorum cum genitivo construitur, v. c. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, inde a mundo condito.

Διὰ apud Neo-graecos eodem modo atque apud veteres Graecos usurpatur.

Εἰς et ἐν praepositionum supra mentio facta est.

⁴ Ἐξ raro occurrit in lingua Graecorum recentiorum.

⁵ Ἐπὶ in locutionibus quibusdam servatum apparet, v. c. ἐπὶ τοῦ Φρειδερίκου βασιλεύοντος, Friderico regnante: vulgus pro praepositione illa ἐπάνω usurpare solet, v. c. τὸ βιβλίον εἶναι ἐπάνω εἰς τὸ τραπέζι, Itolorum more, qui etiam praepositiones compositas adhibent dicentes: egli sede in sul tetto, pro egli sede sul tetto.

Κατὰ iisdem casibus, quibus in lingua hellenica jungitur.

Μετὰ cum accusativo in utraque lingua significat post, v. c. θέλει ἔλθαι μετὰ τρεῖς ἡμέρας, veniet post dies tres;

*) Conf. Marcus XV. 36.

sin vero cum significat, in lingua recentiori detruncata et in με immutata accusativum desiderat; v. c. *Θέλω ἔλθαι με αὐτὸν* seu *μαζὺ με αὐτὸν*, veniam cum eo.

Παρά praepositionis supra mentionem feci.

Περί superest significans de, v. c. *Ὁ Κοραῆς ἔγραψε περὶ τοῦ ἁγίου φωτός*.

Ὑπὲρ in utraque lingua significat super, plusquam, v. c. *αὐτὸ τὸ ζῶον ζῇ ὑπὲρ τοὺς τριάντα χρόνους*, animal illud vivit plus quam triginta annos.

Ὑπὸ voculae non est amplius usus communis, inest autem in voce composita *ὑποκάτω*, v. c. *κάθομαι ὑποκάτω εἰς τὸ δένδρον*, sedeo sub arbore.

Adverbiorum duo tantum afferre visum est brevitatis causa δὲν et μὴ. *Δὲν* ut illud οὐ veterum Graecorum in lingua neo-graeca ante verbum ponitur. Ortum est ex οὐδὲν. Occurrunt exempla in antiquis scriptoribus, in quibus οὐδὲν nihil aliud nisi οὐ significare puto. Lucian. asin. § 19: *Οἱ δὲ τὰ μὲν πρῶτα παίοντες, ὥς δὲ οὐδὲν ὑπῆκουε ταῖς πληγαῖς κ. τ. ε.* *Μὴ* in utraque lingua imperativo jungitur, v. c. *μὴ τίμα τοὺς ἀσεβεῖς*.

Sed haec hactenus. Sufficere existimo haec pauca ad id, quod propositum erat demonstrandum: quatenus lingua hellenica ac neo-graeca quoad grammaticam inter se concinant; nunc partem alteram aggressuri, brevibus demonstrabimus, quae a lexico utrique sermoni peculiariter reperiuntur.

Pars altera.

Omnes linguae neo-graecae copias oculis perlustrantes tria genera vocabulorum deprehendimus. Primi generis sunt ea, quae linguae hellenicae peculiariora, nullis mutationibus obnoxia in lingua recentiori conservata apparent. Haec longe maiorem thesauri partem huius linguae conficiunt. Secundi generis sunt ea, quorum alia variis modis quoad formam mutata hellenistis obscura evadunt, alia quoad formam quidem non mutata, veram significationem temporum injuria amisisse videntur. Tertii generis sunt barbarae originis vocabula, quae Graeci a Turcis, Italis aliisque populis finitimis assumpserunt.

De primo genere vocabulorum verba facere supersedeo, quoniam nihil ab antiquis differunt. De tertio, utpote a vulgo in linguam neo-graecam introducto, a doctis hominibus vero repudiatis, dicere non animus est. Restat igitur, ut de secundo vocabulorum genere agam. Quorum tum formam, tum potestatem genuinam esse obtinebo, quamquam de universis istius naturae vocabulis agi non posse per se intelligitur; hoc esset me hercule! operis immensi nec par viribus meis. Quam ob causam singularia quaedam e lexico selecta, in arctissimos dissertationis fines includere constitui.

Ἀ γ ε λ ᾱ δ α.

Significat vacca Neo-graecis. Derivatum est a voce ἀγέλη grex. Antiquissimis temporibus vero praecipue hoc vocabulum de armento sive vaccarum grege usurpatum esse,

ex Homeri carminibus elucet. Odys. 17, 181: *ἔρρεον δὲ σῶας
σιάλους καὶ βοῶν ἀγελᾶν*. Adjectiva tempore subsequenti,
quum graecus sermo defloresceret, pro substantivis usurpari
coepta sunt. Ista consuetudo etiam apud Italos invaluit.
Romani dicebant: tempore diurno pro interdiu, postea vero
substantivo amisso diurno sive giorno (franco-gallice jour)
reliquum fuit. Sic fieri potuit, ut substantivo *βοῶς* omisso,
adjectivum *ἀγελᾶα*, aut *ἀγελῆς* sive *ἀγελᾶς αἶδος*, quod
olim in usu fuisse constat, Neo-graeci hac significatione
adhibuerint.

Ἀκρόμη

ortum est ex *ἀκμή*, quod idem valet apud Neo-graecos at-
que *ἔτι* veterum Graecorum*). Accusativum *ἀκμήν* jam pri-
mis temporibus hanc significationem accepisse, testantur loci
nonnulli: Interp. vert. ad vers. 27 Aeschyl. Prom.: *ὁ παύ-
σων σὲ τούτου οὐκ ἐγεννήθη ἀκμήν*. neo-gr.: *ἐκεῖνος ὁποῦ
θῆλει σὲ ἐλευθερώσει ἀπὸ τοῦτο τὸ πάθος ἀκόμη δὲν ἔγινεν*.

Ἀλάτι φαγεῖν

occurrit in carminibus popularibus Graecorum recentio-
rum**). Illa sententia utuntur Neo-graeci, quoties *τὸ
βοηθεῖν*, adjuvare esse volunt. Similem locutionem videmus
apud Demosthenem ed. Reiske pag. 400, ubi *τὸ ἄλλες cum
σπονδαὶ* symbolum amicitiae interpretandum est. Mos ille
τὸ ἄλλας φαγεῖν μετὰ τινος apud Graecos veteres ob-
tinuisse videtur, quoties aliquem amicitia sibi vincire cu-
piebant, quam ob rem et victores seu ii, qui eodem victu
cum aliquo fruebantur, *ἁλῶν κοινωνοῦντες* appellabantur.
Simili modo *διαθήκη ἁλός* foedus perpetuum significat.

Ἀνοίγω.

Loci, in quibus illud *ἀνοίγω* interpretum capita valde
vexavit, occurrunt: Xenoph. Hell. lib. I. cap. I. 2:

*) Conf. formam epic. *ἀνωκή*.

**) Theod. Kind. cant. pop. p. 63. Carm. III. vers. 14.

ὥς ἦνοιγε Idem verbi usus 1, 5, 13, 6, 21, 3. Ἀνοίγω in his locis significat altum petere et a littore magis magisque recedere. Haec significatio ad nostram usque aetatem conservata invenitur in ore Graecorum recentiorum, nam ἦνοιξε πολὺ τὸ καί τι dicentes exprimunt, naviculam longe a littore recessisse. Conf. Xenoph. Hell. ed. Schneider et quae dicit J. Dav. in praefatione parallelismi supra citati. Multa, quae in scriptis veterum Graecorum obscuriora inveniuntur, recentiorum idiomatis ope facilius explicantur.

Ἄ σ ῆ μ ι

Neo-graecis est argentum, quamquam vocabula ἀργύριον et ἄργυρος eis haud ignota sunt. Corais ad Pl. Prodrum pag. 288 dicit ἐπίσημον ἀργύριον esse argentum signatum (κεχαραγμένον), et ἄσημον ἀργύριον argentum non signatum (τὸ μὴ κεχαραγμένον), quam ob rem vulgus immutato usu ἄσημον argentum appellasse. Profecto probabilis sententia; sunt enim loci, in quibus adjectivum ἄσημος cum substantivo ἀργύριον conjunctum est. Thucyd. VI. 8: Καὶ οἱ Ἐριστᾶται μετ' αὐτῶν ἄγοντες ἐξήκοντα τάλαντα ἄσημον ἀργυρίου. Subsequenti tempore substantivum omitti coepit et adjectivum ἄσημον seu ἄσήμιον pro substantivo adhibitum est.

Α ὐ θ έ ν τ η ς

seu, ut vulgo dicitur, ἀφέντης, Neo-graecis significat quod Graecis veteribus δεσπότης, quo vocabulo saepius utebantur. Locus, e quo elucet, vocem αὐθέντης etiam apud antiquos eundem atque apud recentiores significatum habuisse, occurrit in Euripidis fabulis. Supplices 443: καὶ μὴν ὅπου γε δῆμος αὐθέντης χθονός.

Β ο λ ά

vocabulo utuntur Neo-graeci, ut numerum multiplicabilem expriment, v. c. μία βολά semel, δύο βολαῖς bis, τρεῖς βολαῖς ter etc. Veteres Graeci adverbis ἅπαξ, δις, τρίς etc.

usi sunt. Nihilominus et vocabulum *βολὰ* eadem significatione apud illos receptum fuisse, testatur locus in fabulis Aesopiciis *τρεις βολαῖς*. Conf. Cor. ad Aesop. 441: *Φορὰ* vocabulum, quo Neo-graeci idem atque illud *βολὰ* valente utuntur, etiam apud veteres Graecos ejusdem significatus fuisse verisimile est.

B ρ á δ ν

Neo-graeci pro *ἐσπέρα* utuntur. Hi enim, ut Itali adjectivo sera pro substantivo utuntur, adjectivum neutrius generis vocis hellenicae *βραδὺς*, *βραδεῖα*, *βραδὺ* adhibere solent. Occurrit apud Diogenem Laertium locus, qui testatur, adverbium *βραδέως*, ob eandemque causam adjectivum *βραδὺς*, quoad vim ad illam, quae in vocabulo *ἐσπέρα* est, proxime accedere. Tom. I. p. 276. XV. 139: *Προηρίστα μετὰ δυοῖν ἢ τριῶν ἕως βραδέως ἦν τῆς ἡμέρας*, prius ipse cum duobus aut tribus prandebat, usque dum dies ad vespeream vergeret. *Βραδέως* hic pro *ὀψέ* usurpatum videmus*). Quod accentum attinet, non in ultima sed in penultima positum, notandum est, Neo-graecos ut alioquin saepius, sic et in hac re Aeolum dialectum secutos esse. Aeoles enim, testes sunt grammatici, a ceterorum Graecorum consuetudine aberrantes, eo immutabant accentum, ut in antepenultima eorum vocabulorum eum ponerent, quorum ceteri Graeci ultimam cum accentu efferebant. Gregorius Corinth. de dialecto aeolica disserens § XLVIII. pag. 617 editionis Schaef. haec dicit: *Ὡσάντως δὲ καὶ τὰ δυσύλλαβα δευτέρως παρ' ἡμῶν λέγομεν, αὐτοὶ (Aeoles) βαρντονοῦσι, σόφος, κάλος, ὄξυς, βράδης καὶ τὰ ὅμοια*.

Γ α ῖ δ α ρ ο ς.

Vocabulum, quod peregrinum sonum exhibere videtur. Videamus an etymologiae rationem habentes aliquatenus interpretari illud queamus. Vulgus hoc vocabulo utitur pro *ὄνος*. Derivatum esse potest a *γαῖα* terra, et *δέρειν* pulsare,

*) Gonfer vocem hispan. la tarde.

quam derivationem Etymologicum magnum probat: γαῖδαριν διὰ τὴν γαῖαν δέρειν τοῖς ποσὶ. Pro γαῖδαριν seu γαῖδαρος dicunt etiam αἰδαρος. Manuel. Palaeologus in Onirocritico haec dicit: αἰδαρος δὲ ἀπὸ τοῦ αἰ πολλὴ τύπτεθαι παρὰ τοῦ ἐλαύνοντος αὐτὸν διατονώτερον. Quae explicatio altera aptior mihi videtur, quoniam γαῖα forma poetica a vulgo haud usurpabatur, αἰ vocula vero in omnium ore erat.

Ἐ λ α

in grammaticis neo-graecis verbo ἔρχομαι adjunctum invenitur, quamquam quoad formam nullam affinitatem cum eo habet; affine ei est quoad potestatem, namque est imperativus verbi ἐλάω, ἐλαύνω. Hoc verbum non solum agere, ducere, in lingua hellenica significare, sed etiam naturam verbineutrius habere, testantur sententiae hae: εἰς ἄκρον τῆς παιδείας ἐηλάκει ad summum fastigium eruditionis pervenerat. Πόρρῳ παντάπασιν ἡλικίας ἐηλεκώς, is qui ad summam senectutem pervenit *). Inde liquet ἐλα quoad formam significationemque verbum hellenicae originis esse.

Ἐ ξ ε υ ρ ω

seu potius ἐξεύρω vocabulo Neo-graeci pro οἶδα utuntur. Formatum est ex aoristo ἐξεῦρον. Ἐξευρίσκω proprie significat invenire, ἐξευρεῖν invenisse. Id, quod autem aliquis invenit, hujus cognitionem habet sive hoc scit. Locus, in quo vocabulum ἐξευρεῖν idem atque οἶδα scio significat, occurrit Herod. 1, 25: . . . ὃς μούνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρον κόλλησιν ἐξεῦρε, qui solus omnium hominum ferruminationem sciebat; alii enim non sciebant. Si τὸ invenit significaret, Herodotus opinor verba μούνος δὴ πάντων ἀνθρώπων plane omisisset **).

*) Confer. Hom. Odys. lib. IV. 2.

**) Confer. Cebes. ed Corais. p. 64.

Θέρους

vocabulo Neo-graeci utuntur ita, ut eis tum particulam aestatis significet, qua frumentum metitur, tum etiam messem ipsam. Veteres Graeci quanquam totam aestatem saepe intellexerunt per vocabulum *θέρους*, tamen eo etiam significant messem, quam significationem Neo-graeci a maioribus acceptam conservarunt. Aristoph. equit. 392:

Κ' ἔτ' ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι τ'ἀλλότριον ἄμων *θέρους*.

Κάμνω

Neo-graeci pro *ποιῶ* utuntur. Graecis veteribus laborare, aegrotare significat, quam sententiam illi verbis *ἀσθενῶ*, *ἀρροστώ*, *ἀποστάνω* exprimere solent. Illud *κάμνω* etiam apud veteres Graecos significat aliquid viribus intentis perficere. Notio intendarum virium, quae huic verbo subjecta erat, tempore subsequenti paulatim in oblivionem abiit, quo factum est, ut a Graecis senioris aetatis nuda significatione τοῦ perficere, facere usurpatum sit. Locos permultos invenies, si ad epopoeos respexeris, in quibus *κάμνειν* perficere, facere significat. Hom. Odys. XV. 105: . . . οὓς *κάμειν αὐτή*. Hom. Odys. XXIII. 189: *ἐν λέχει ἀσκητῶ*. τὸ δ' ἐγὼ *κάμον* οὐδέ τις ἄλλος. Il. IV. 187: ἡδ' ὑπένερθεν *ζῶμά τε καὶ μήτηρ*, τὴν *χαλκῆς κάμον ἄνδρες*. Ilias XVIII. 614: αὐτὰρ ἐπεὶ πάνθ' ὄπλα *κάμε κλυτὸς Ἀμφιγυῖς*. Praeterea adjectiva *σιδεροκμήs* et *χειρόκμητος* luculenter testantur, verbum, quod continent non τὸ aegrotare, sed τὸ facere significare.

Μάλαγμα

pro *χρυσός* in usu est apud Neo-graecos; derivatum a verbo *μαλάσσω*, quod extendere, emollire significat. Aurum omnium metallorum in incude maxime produci posse nota res est. A verbo *μαλάσσω* formatum videmus et substantivum ὁ *μαλακτῆρ*, quod una cum vocabulo *χρυσός* junctum occurrit: Plut. in vita Periclis cap. XII.: *χρυσοῦ μαλακτῆρες*. Habet τὸ *χρυσοῦ μαλακτῆρ* vim et potestatem latini vocabuli bractearius.

Μ α ῥ ο ς

Vocabulum pro μέλας, μέλαινα, μέλαν apud Neo-graecos usitatissimum. Lexicon insipienti formationes occurrunt duae: μαῦρος et ἄμανρός. Composita sunt e verbo μαίρω, lucere et α privativo. Illud ἄμανρός plus semel apud veteres Graecos invenitur. Hom. Odys. IV, 824. 835: Τὴν ἀπαμειβόμενος προσέφη εἰδωλον ἄμανρόν. Graeci temporum subsequentium α privativum omittere, et μαῦρος dicere ac scribere maluerunt.

Μ ε λ ά ν η

Atramentum significat Neo-graecis. Facile omnes vident, hoc vocabulum ab adjectivo μέλας ortum esse. Τὸ μέλαν apud Graecos veteres eandem significationem habet, quod testatur locus Plutarchi in vita Solonis cap. 17: Αὐτὸ Δημάδης ὕστερον εὐδοκίμησεν, εἰπὼν ὅτι δι' αἵματος οὐ διὰ μέλανος τοὺς νόμους ὁ Δράκων ἐγραψεν.

Ν ε ρ ό ν

perperam Neo-graeci scribere consueverunt. Ego potius νηρόν scribendum esse censeo. Quod adjectivum pro substantivo usurpatur*). Simili ratione, qua in lingua latina τὸ humidum medici pro substantivo adhibent, humidum radicale humores primarios corporis humani appellantes. Literas ε et η in pronuntiando saepe unam pro altera usurpari, res nota est. Nec mirum; accedit enim litera ε proxime ad sonum literae η, qua re fieri potuit, ut vulgo σίδερο pro σίδηρος dicant.

Ὀ ν ο μ ά τ ο ς

Neo-graecis significat persona. Est forma secundaria pro ὄνομα, quod quidem lingua neo-graeca etiam exhibet. Veteribus Graecis ὄνομα idem significasse videtur; nam in inscriptione quadam haud procul a Piraeo prope Athenas inventum est illud ὀνομάτων, quod secundum Codricam

*) Confer. Hom. Odys. lib. IV. 785. ib. lib. XX. 163.

aliam interpretationem non admittit *). Dicit autem ille, vocem ὄνομα jam antiquissimis temporibus idem, quod Franco-galli individu appellant, significasse. Quod formam ὀνομάτος attinet, Codricas optime sentire videtur id praeterea notans, pari modo, quo veteres Graeci ὁ σκότος et τὸ σκότος vocabulis usi sint, τὰ ὀνόματα et οἱ ὀνομάτοι formas apud eos invaluisse.

Π η γ α ί ν ω

seu παγαίνω vox ducta pro πάγω seu ὑπάγω **). Apud Neo-graecos duplicis potestatis est. Habet enim nunc verbi neutrius, nunc activi significatum v. c. πηγαίνω seu ὑπάγω εἰς τὸ χωράφι rus abeo, et πήγαινε με μέσα introduc me intus. Apud veteres Graecos ὑπάγω plerumque est verbum transitivum, sed saepe etiam verbi neutrius significationem habet, id quod elucet ex his: Johann. 18. 8: Εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε ἄφετε τούτους ὑπάγειν.

Τ ὠ ρ α

Neo-graeci saepius quam νῦν adhibent. Est contractio nata ex τῇ ὥρᾳ, quod significat idem atque ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ nunc, à cette heure même. Itali similem formandi rationem secuti vocabulo ora utuntur. Mirum in modum Russiades errasse mihi videtur dicens pag. 457, esse adverbia nonnulla tam obscurae originis, ut plane nesciat, unde sint derivanda, et in harum formarum numero ponit τὸ σήμερον. Vix crediderim Russiadem ignorasse, et σήμερον et τήμερον Graecis veteribus formas admodum tritas, non alio modo oriri potuisse, quam e dativo τῇ ἡμέρᾳ. Graeci hodierni σήμερα multo rectius enunciant etymologiae rationem habentes ***). Litera σ pro τ nihil offensionis offert; nam una pro altera ponebatur, ut ex vocabulo θάλασσα elucet, quod nonnunquam θάλαττα scribitur.

*), Codricas Μελέτη τῆς κοινῆς ἐλληνικῆς διαλέκτου. T. I. p. 366.

**) Conf. formas ἀγινέω et ἀγίνω. Od. 22. 198.

***) Nihilominus et apud antiquos scriptores illud σήμερα interdum occurrit. Aristoph. nub. 690.

Φιλέω

forma soluta pro *φιλω*, digammate *φιλέω* interposito, quod latinae literae *v* sonum habuit. Quem sonum, digammate e literarum notis ejecto, Graeci litera *v* suppleverunt. *Φιλέω* Neo-graecis significat hospitio aliquem excipere. Eiusdem autem significationis jam a primis inde temporibus hoc vocabulum apud veteres Graecos fuisse puto, id quod ex carminibus Homeri probabilius fit. Odyss. 1. 123:

Χαῖρε, ξεῖνε· παρ' ἄμμι φιλήσεται· ἀντάρ ἔπειτα

Δείπνον πασσάμενος, μνθήσεται, ὅτεό σε χρή*).

Versus sequens satis probat, de hospitio seu benignitate, qua quis excipitur, sermonem esse. Salve, inquit, amice apud nos hospitature; deinde (*δείπνον πασσάμενος*) quum coena satiatu fueris, nobis edicas, qua re tibi opus sit. Luculentius ille verbi *φιλέω* usus apparet ex his: Odyss. X. 14: *Μῆνα δὲ πάντα φίλει με, καὶ ἐξερέεινεν ἑκαστα*. Odyss. XV. 201: . . . *ἔμενος φιλέειν*. Odyss. VIII. 42: . . . *ὄφρα ξεῖνον ἐνὶ μεγάροισι φιλέωμεν*. Il. III. 207: *τοὺς δ' ἐγὼ ἐξεῖνισσα καὶ ἐν μεγάροισι φίλησα*. Il. VI. 15: *πάντας γὰρ φιλέεσκεν, ὁδὸν ἐπὶ οἰκία ναίων*. Odyss. IV. 29: *ἢ ἄλλον πέμπωμεν ἱκάνεμεν, ὅς κε φιλήσῃ*. Odyss. IV. 171: *καὶ μιν ἔφην ἐλθόντα φιλησέμεν ἔσοχον ἄλλων*.

Χρόνος

Graecis veteribus plerumque tempus, Neo-graecis temporis partem definitam, annum significat. Sed vestigia sunt in veterum scriptis, e quibus hoc vocabulum praecipue numero plurali eandem vim et potestatem, qualem apud Graecos hominibus jamdiu habuisse colligas. Philo vol. VI. p. 89-555: *καὶ γὰρ ἡ θνητὴ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτεθνήκει χρόνων*; namque filia ejus non multos annos ante mortua erat. In Aesop. Fab. occurrit sententia: *πρὸ τῶν χρόνων*, quod vertendum censeo: annis proventus. *Τοῦ αὐτοῦ χρόνον* non eodem tempore, sed eodem anno significat **).

*) Confer. Hom. Il. 13. 627.

**) Conf. Lexic. gr. ed. Hase, et Corais *ἄτακτα*, et Cicero de natura deorum c. 25, ubi haec sunt: *Χρόνος* enim dicitur; qui est idem quod *χρόνος*, id est spatium temporis.

Ψ α ρ ι

forma decurtata, quae integra *δψάριον* deminutivum *ὄψον* vocabuli est. *Ψάρι* seu *δψάριον* Neo-graecis significat piscem. Veteres Graecos vocabulo *ὄψον* praecipue piscem nominare, testantur loci permulti. Diodor. Sicul. Lib. c. XI. mentionem faciens beneficiorum a rege Persarum in Themistoclem collatorum haec dicit: *Μνοῦντα δὲ εἰς ὄψον, ἔχουσαν θάλασσαν εὐίχθυν.* Ex adjectivo *εὐίχθυς* intelligitur, *ὄψον* hic nihil nisi piscem significare. Diog. Laert. ed. Long. T. I. p. 255: *Κράτῃτι μεταξὺ σπεῦσαι ἰχθῦς πρίσθαι· τοῦ δέπισπωμένου καὶ φάσκοντος, καταλείπεις τὸν λόγον; οὐκ ἔγωγε, ἔφη, ἀλλὰ τὸν μὲν λόγον ἔχω, σὲ δὲ καταλείπω, ὃ μὲν γὰρ λόγος περιμένει, τὸ δ' ὄψον πεπράσεται.* E sententia *ἰχθῦς πρίσθαι* hic quoque vera vocabuli *ὄψον* significatio patet *).

Ψ ω μ ι

Pro *ψωμίον*: deminutivum substantivi *ψωμός*, frustum panis veteribus Graecis significantis, Diog. Laert. VI. 37: *Ἐξέβαλε δὲ καὶ τὸ τρυβλίον ὁμοίως παιδίον θεασάμενος, ἐπειδὴ κατέαξε τὸ σκεῦος τῷ κοίλῳ τοῦ ψωμίου τὴν φακὴν ὑποδεχόμενον.* Verbum *ψωμίζω* praecipue panem distribuere, pane nutrire significare videtur; occurrit enim una cum substantivo *ἄρτος* conjunctum. Philo I. 327: *ψωμιεῖς ἡμᾶς ἄρτον δακρύων.* Vocabulis *ψωμόλεθρος* pestis panis, quod comice scurram denotat, et *ψωμοπολεῖον* forum pistorium satis probatur, et Graecos veteres *ψωμίον* saepe pro *ἄρτος* adhibuisse.

*) Conf. Erasmi colloquia p. 505 edid. Petrus Rabus.

V I T A.

Ego Theodorus Augustus Peucker, fidem professus catholicam, natus sum Sagani anno MDCCCVII. Patre usus sum Ignatio Peuckero, qui primum in oppido illo scribae saltuarii, postea ratiocinatoris munere fungebatur. Obiit vir antiqui moris sexaginta tres annos natus, quum annum decimum agerem. Mater mea ob integritatem, qua pater muneri suo praefuerat, beneficium annuum accepit a duce Saganensi, sed nimis exiguum, quam quod sex liberis, quos habebat superstites, alendis educandisque sufficeret. Patruus meus Franciscus Peucker, quem nuper defunctum lugeo, et frater major natu Guilelmus, qui praedium illo tempore redemerat, susceperunt, ut, quum multa beneficia in me contulissent, Glogoviam me mitterent, in quo oppido literis operam navarem. Traditus sum Gymnasio catholico, quod per septem annos frequentabam, quo temporis spatio operose exacto (namque propter valetudinem nunquam mediocritate emergere potueram) Vratislaviam me contuli, et die XXIV. mensis Octobris MDCCCXXVI in numerum Universitatis Viadrinae civium adscriptus sum. Primum theologiae vacabam; cujus autem studio, quum parum duceret, linguarum ediscendarum cupiditate pellectus, fratre meo haud invito ad philologiam me con-

V I T A.

Ego Theodorus Augustus Peucker, fidem professus catholicam, natus sum Sagani anno MDCCCVII. Patre usus sum Ignatio Peuckero, qui primum in oppido illo scribae saltuarii, postea ratiocinatoris munere fungebatur. Obiit vir antiqui moris sexaginta tres annos natus, quum annum decimum agerem. Mater mea ob integritatem, qua pater muneri suo praefuerat, beneficium annuum accepit a duce Saganensi, sed nimis exiguum, quam quod sex liberis, quos habebat superstites, alendis educandisque sufficeret. Patruus meus Franciscus Peucker, quem nuper defunctum lugeo, et frater major natu Guilelmus, qui praedium illo tempore redemerat, susceperunt, ut, quum multa beneficia in me contulissent, Glogoviam me mitterent, in quo oppido literis operam navarem. Traditus sum Gymnasio catholico, quod per septem annos frequentabam, quo temporis spatio operose exacto (namque propter valetudinem nunquam mediocritate emergere potueram) Vratislaviam me contuli, et die XXIV. mensis Octobris MDCCCXXVI in numerum Universitatis Viadrinae civium adscriptus sum. Primum theologiae vacabam; cujus autem studio, quum parum ducerer, linguarum ediscendarum cupiditate pellectus, fratre meo haud invito ad philologiam me con-

verti. Praeceptores mei fuerunt: Herber, Scholz, Köhler, Dereser, Schneider, Passow, Rohovsky, Thilo, Wachler, Stenzel, Braniss, Rake, Steffens. Tribus annis et sex mensibus in philologiae studio absumptis, benignitate et intercessione viri humanissimi, doctissimi Francisci Passovii, munus lectoris linguae neo-graecae, quo etiamnunc fungor, in me collatum est. Praeter praeceptores, quibus me usum fuisse doctissimis, humanissimis gaudebam, quique benignitate me obligaverunt, non possum quin viri doctissimi Schultzii, Professoris in Academia equestri Liegnitziensi, erga me benevolentiam collaudem, qui literarum Graecorum recentiorum peritissimus, me comprobandi negotium suscepit, consiliumque meum tanta benevolentia adjuvit, ut memoriam ejus viri perinde atque aliorum omnium praeceptorum meorum gratissimam nunquam non debeam conservare.